

14

Viro

plurimum reverendo

HERM. DÖHLERTO

munus pastorale

apud

Spielbergenses

per viginti quinque annos

die XXIX m. Decembr. MDCCCLXIV

exsecuto

amice gratulatur

Dr. CAROLUS KEILIUS,
Professor Portensis.

Inest Mantissa Epigraphica.



NUMBURGI
typis Henr. Sielingii.



THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES

THE SECOND

BY

J. H. BURTON

ESQ.

LONDON

1764

L
C
R
a
C
S
M
7
S
M
L
C
M
S
C

An te tres fere annos, cum collegarum et amicorum benevolentia celebratum voluit eum diem, quo viginti quinque annos ego in hoc exoptato magisterio Portensi peregeram, Tu, mi Doehlerte, pro ea quae iam inde ab ineunte aetate in Portae almae matris sinu inter nos contracta est amicitia, carmen ad me misisti gratulatorium sermone patrio eleganter compositum, plenum honoris plenum amoris. Iam cum magna animi laetitia proximum Tibi instare video tempus, quod memoriam muneris ecclesiastici anno huius saeculi tricesimo nono ad Te delati referat. Sed quod diu speravi, fore ut Tibi ipse coram longum illud vitae spatium gratiae divinae beneficio feliciter decursum gratularer et praesens vota de futuro tempore nuncuparem, id cum per feriarum opportunitatem iter suscipiendum sit in urbem a tiliis dictam contingere mihi non posse, iam nunc pro certo habeo. Itaque ne mutus et elinguis esse videar, Leopoldo Tuo perferendas ad Te tradam has schedas, quae mei erga Te animi die Tibi ac Tuis festissimo testimonium exhibeant. Nec tamen eadem qua accepi mensura, ut praecipit Hesiodus, nedum cumulatius referre potui. Nam si qua est in me ingenii benigna vena, ea tota effundi debet in opellam, quam ut scis epigrammatis Latinis condendis insumere soleo. Verum ne nihil offerrem, ex eo studiorum genere, ad quod per otii horas incumbentem me aliquoties Tu deprehendisti et vero amice ut valetudinis curam haberem castigavisti, delibare placuit pauca, quae Tibi Ilgenii et Langii discipulo bonis artibus semper dedito et in pueris utroque sermone instituendis magna cum laude versato non ingrata futura esse spero.

Invito autem Te, ut mecum pertractes reliquias tituli Graeci, cuius nec lectioni nec interpretationi satis adhuc videtur consultum esse. Debemus eius monumenti notitiam peregrinatori docto Francogallo, cui nomen est Heuzey, qui apographum edidit in itineralio „Le mont Olympe et l'Acarnanie, Paris 1860“ p. 84 et p. 478 n. 26. Lapis, qui exstat in ecclesia S. Georgii in vico Pyrghéto, ita habet:

In v. 2 primum notatam volo licentiam, qua syllaba brevis (*πίστιν*) admissa est in media pentametri sede. Id genus, cuius exempla in promptu sunt plurima, post Friedemannum tetigit Welckerus *Sylog. Epigr. Graec.* p. XXV; C. I. G. n. 6223, 6 ἐσθλὸς Ἀθήναιος ἐν θαλάμοιο τέλει. Mireris vero, quod noluit scribere versificator: *πίστιν τ' ἠδὲ φιλοξενίην*.

Duae laudantur in mortuo virtutes fidei et hospitalitatis. Quinque cultae sunt tanquam principes ante Socratis aetatem: *δσιότης, δικαιοσύνη, σοφία, σωφροσύνη, ἀνδρεία*, v. Goettling. *Ges. Abhandl.* v. I p. 245 et Naegelsbach. *Die nachhomer. Theolog. d. griech. Volksglaub.* p. 192. Quaternarius numerus est apud Platonem *Legg.* I, 631. II, 661: *φρόνησις, σωφροσύνη* (*Corp. Inscr. Gr.* n. 6200, 12 *κάστιν ἐν εὐσεβείων ἢν διὰ σωφροσύνην*), *δικαιοσύνη* (*Rhangab. Antiq. Hellén.* n. 2209, 2 *μῆμα δὲ σῆς ἔλιπες πᾶσι δικαιοσύνης*), *ἀνδρεία*. Adde *Anth. Pal.* VII, 343, 5 *τῶν πισύρων ἀρειῶν ἀμαρύγματα πάντα φέροντα*. Tres commendavit virtutes Euripides in *Antiope*, fr. 219 Nauck.

*πορεῖς εἰσὶν ἀρειαί, τὰς χρεῶν σ' ἀσκεῖν, τέκνον,
θεοὺς τε τιμᾶν τοὺς τε θρῆσαντας γονεῖς
νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος —*.

Sed iam quaerendum est, quae hic virtutes intelligi debeant. Et fidem quidem incorruptam, ut ait Horatius, *ἐθνητάτην πίστιν*, quantopere in vita et publica et privata cum Graeci (Naegelsbach. l. l. p. 241, 31) tum imprimis Romani coluerint (Preller. *Röm. Mythol.* p. 224), etiam ante quam doctrina Christiana animi imbuti essent, sane non est, quod pluribus demonstretur. Hoc unum affero, ne in titulis quidem raram esse huius virtutis praedicationem, v. *Rhangab.* l. l. n. 29 v. I p. 27, C. I. G. n. 425, 4. n. 1383, 4. n. 6207, 3. n. 6223, 11.

Non minus *φιλοξενία* iam olim inter gentiles quemadmodum universis populis velut Atheniensibus ita singulis hominibus laudi fuit; vide Naegelsbach. p. 255, 37 et praeter ea quae in *Philologi Suppl.* II. p. 553. 561 contuli ad epigramma Atticum satis vetustum

*μεγάλης τε φιλοξενίης ἀρειῆς τε
πάσης μοῖραν ἔχων,*

disputationem Eggeri de humanitate, qua pauperum rationibus veteres prospexerint, in *Mémoires d'histoire ancienne et de philologie*, Paris 1863, p. 358 sqq.

Denique etiam ea quae deinceps addita sunt v. 3 τῶν μετὰ καὶ συναπῆρεν ἀπὸ χθονὸς εἰς βίον ἄλλον, quibus ille in aliam vitam suas secum abstulisse dicitur virtutes, nempe ut eis porroungeretur et earum praemia caperet, videri possunt cadere in hominem vetera de deis et rebus divinis humanisque commenta opinionum secutum. Nam ex paganis qui ultra vulgus sapiebant et cum mysteriis initiati essent laetiores de rebus post mortem futuris spem conceperant, de nova aliqua vita virtutumque honoribus in ea ferendis persuasum habebant, id quod saepe etiam in monumentis testati sunt quamquam interdum cum aliqua dubitatione, v. ut paucissima commemorem de plurimis C. I. G. n. 808, 6

Οἶδα δέ σοι ὅτι κατὰ γῆς, εἴπερ χρηστοῖς γέρας ἐστίν,

Πρώτῃ σοι τιμαί, τίτθῃ, παρὰ Περσεφόνη Πλούτωνί τε κείνται.

Rhangab. n. 2207, 8, si recte corrigo,

**ΕΙΛΕΤΙΣΕΥΣΕΒΕΛΑΝ . . . ΗΣΕΦΟΙ . . . ΑΡΕΤΕΣ
ΚΑΙΣΟΙΤΗΣΔΕΜΕΡΟΣΔΩΚΕΤΥΧΗΦΘΙΜΕΝΟΙΣ**
Εἰ δέ τις εὐσεβέ[σιν παρὰ Περ]σεφό[νῃ χ]ά[ρ]ι[ς] ἐσ[τί],
Καὶ σοὶ τῆςδε μέρος δώκε Τύχῃ φθιμέν[ω].

Ita igitur credideris, titulum hic legi hominis, qui fuerit paganus. Verum ipsa virtutum illarum coniunctio et aetatis inferioris qua praedicantur ratio in eam nos quasi manu deducunt sententiam, ut ex doctrinae Christianae fonte verba fluxisse censeamus. Cui doctrinae ad amussim quae dicta sunt accommodata esse omnia, facile puto est ad demonstrandum.

Primum enim πίστις, quae et ad persuasionem de uno deo eiusque filio mundi salvatore pertinet et ad obsequium voluntati divinae praestandum, iam optime cum amore, hic quidem pauperum vel egenorum potissimum, coniuncta tamquam virtus primaria praedicatur. Sic Paulus apostolus scribit ad Timotheum I, 1, 5 τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας καὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς καὶ πίστεως ἀνυποκρίτου. Et quemadmodum est in Apocalypsi II, 10 γενοῦ πιστὸς ἄχρι θανάτου καὶ δώσω σοὶ τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, ita ille defunctus postquam re fidem probavit et amorem cum his virtutibus suis, quoniam „nihil nobiscum ferre possumus nisi vitam bene atque innocenter actam“ (Lactant. Divin. Institut. VII, 27,

10), ad aeternam felicitatem evectus est. Nam ut eiusdem Apocalypsis verbis utar solatii plenissimis: XIV, 13 *μακάριοι οἱ νεκροὶ οἱ ἐν κυρίῳ θνήσκοντες ἀπ' ἄρτι· ναί, λέγει τὸ πνεῦμα, ἵνα ἀναπαήσονται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν· τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν.* Atque haec quidem opera manarunt a virtute, quam non sine praemio divino fore dicit Cicero Christianus, l. I. VII, 27, 4.

Deinde *φιλοξενία*, de qua ad v. 4 agam pluribus, iam inprimis curam denotat pauperum, homine Christiano ut videbimus unam omnium dignissimam.

Tum v. 3 quod relicta hac terra in aliam vitam demi-grasse mortuus narratur, idem fere variis modis indicatum reperitur sane in epitaphiis Graecis et Latinis, de quibus formulis docta est Welckeri annotatio in Syll. Epigr. Graec. p. 27 et p. 295. Frequentissime quidem corpus ad terram rediisse, in coelum sublatam esse animam scriptum est: *αἰθήρ μὲν ψυχὰς ὑπεδέξατο, σώ[ματα δὲ χθών vel δ' αἶα C. I. G. n. 170, 6. χθών μὲν ἔχει δέμας ἐσθλόν, ἔχει κλυτὸν οὐρανὸς ἦτορ Anth. Pal. VII, 672, 1. τὴν ψυχὴν ἀπέδωκεν ἐς αἶερα, σῶμα δὲ πρὸς γῆν C. I. G. n. 6283, 6. πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν (ἀπελθεῖν), Eurip. Suppl. 533.* Atque verbis, quae hic leguntur, simile est illud in C. I. G. n. 1067, 5 (Welcker Syll. Ep. Gr. n. 22 p. 23. Mus. Rhen. XIV, 484) *υἱὸν Καλλιύχοιο μένει δῖον φάος ἄλλο*, quod monumentum, si quid video, non est Christianum.

At etiam in hoc, quod in alteram vitam mortuus se contulisse dicitur, indicium Christianae persuasionis videre mihi videor satis expressum. Incurrit enim in oculos, eam locutionem ex eadem doctrina repetitam esse, quae contineatur verbis Iesu Christi vivificatoris ipsius: *εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν* (ev. Matth. XVIII, 8. 9. XIX, 17) vel *μεταβαίνειν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν* (ev. Johann. V, 24), et Johannis baptistae: *ὄραν ζωὴν*, ev. Johann. III, 36. Nimirum, ut iam supra concessi, in mentem venit etiam gentilibus quibusdam, statum rerum humanarum postquam animus a corpore seiunctus esset veram esse vitam, id quod Euripides philosophans poeta dixit, quamquam ne hic quidem aliter quam quaerendo, Polyidi fr. 639 Nauck.

*τίς οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μὲν ἐστὶ κατθανεῖν,
τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται;*

sed vulgo paganorum animi a tali vitae alterius fiducia aberant ut qui longissime.

De v. 4 coniecturam alicubi propositam legere me memini hanc:

ξεινοῖσι προλιπὼν καὶ γενέτησι πόθον.

Verum et particulae καί γε et vero non interposita alia voce apud recentiores scriptores sunt admodum frequentes (v. Klotz. ad Devar. de Graec. ling. part. II p. 318 et Rost. Lex. Passov. I p. 541. a), nec ullo pacto eripi epigrammati patiar nomen πένησι distincte lapidi insculptum. Nam in eo, quod πένητες mortuum desiderant, manifesto posita est explicatio φιλοξενίας v. 2 commemoratae.

Atque haec quidem laus, quod pauperes amaverint, etsi etiam antiquiore tempore quibusdam tribuitur, velut G. Ateilio Serrani l. Euhodo in titulo nuper in via Appia detecto apud Henzen n. 7244 p. 463 et apud Egger. l. l. p. 352:

hospes resiste et hoc ad grumum ad laevam aspice ubei
continentur ossa hominis boni misericordis amantis
pauperis,

quam inscriptionem propter litteraturae genus Augusti aetati assignant, propria tamen est Christianorum, quos post Iudaeos admonente verbo divino mirum quantum levandis egenorum necessitatibus studuisse constat, conf. Winer. Bibl. Realwörterb. s. v. Almosen et Arme vol. I p. 45 et p. 86. Adde iis, quae uberrima eximii illius theologi eruditio collegit, primum monumentorum duorum testimonia, repetita illa quidem ex Rossii thesauro Inscriptionum Christianarum urbis Romae. Unus autem titulus, n. 62 p. 49 (allatus etiam ab Eggero l. l. p. 357), qui scriptus est anno post Christum 341, sic habet:

Depossio Iuniani pri. Idus Apriles Marcellino et Probiano
conss.

qui bixit annis XI in pace decissit et amator pau-
perorum bixit

cum brgnia annis XV bene merenti birginia sua Bictora
bene merenti fecit amatrix pauperorum et ope-
raria.

Alterius tituli, n. 319 p. 142. b, Antonio et Syagrio con-
sulibus (v. 9) i. e. anno Christi 382 exarati, huc facit
versus quartus:

amatrix pau]perorum.

Tum huius loci est inscriptio Mediolani inventa apud Orellium n. 4657 (Egger. p. 357)

Placita deo fidelis et dulcis marito
nutrix familiae cunctis humilis
placato puro corde a matrix pau-
perum abstinens se ab omni
maligna re —,

quam mulierem obiisse credibile est anno aerae nostrae 486.

Denique non spernenda videntur, quae exstant in arca anno 1199 p. Christ. barbare inscripta, C. I. G. n. 9540 v. 22. b v. IV p. 521

γε[ί]τωνες αὐτόν δακρύουσι καὶ φίλοι·
ζητοῦσι τὸν τροφαία π[ι]τωχοὶ καὶ ξένοι,

ubi facile in mentem cuius Homeri verba veniunt Odyss. VI, 207

* πρὸς γὰρ Διὸς εἰσιν ἅπαντες
ξείνοί τε πτωχοί τε.

Superest, ut verbo tangam desiderium, quo quis mortuus suos affectis dicitur. Saepius sane in epitaphiis vel aliquis *ποθρινός* parentibus, fratribus, amicis appellatur (C. I. G. n. 805, 4. n. 930, 2. n. 939, 1. Anth. Pal. VII, 716, 1), vel eum *ποθοῦσι* qui vivum amaverunt (C. I. G. n. 170, 10. n. 808, 5. Anth. VII, 468, 9. 513, 4. 662, 3. Append. n. 202, 1). Cum eo vero, quod hic usurpatum est dicendi genere, conveniunt haec Christodori in Anthol. VII, 698, 11

Ὦλχετο μουσοπόλοισι ποθῆν πάντεσσιν ἑάσας,
Ὦς ἐπόθει πατέρων φέρτερα γειναμένων,

ubi malis οὖς ἐφίλει. Nec diversa sunt Ciceroniana, Brut. I, 2 (Herennius) „alienissimo reipublicae tempore extinctus et auctoritatis et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat“, et pro Rabirio V, 14 „par desiderium sui reliquit apud populum Romanum Labienus ac Tib. Gracchus reliquerat“.

Iam potestate et optione data, ut eligerem ex satis multis inscriptionibus vel corruptis vel parum explicatis quam vellem illustrandam, cur huic potissimum titulo operam navare studuerim, non obscura, mi Doehlerte, causa esse potest Tibi theologo, qui Christianas et virtutes aemuleris diligenter et antiquitates accurate cognoveris.

Sed haec hactenus. Accedo iam ad officium animo meo longe gratissimum Tecumque ut laetor, quod Tibi deus o. m. hunc diem tamquam praemium studii in suo cultu pie ac strenue positi dedit, ita precor numen summum, ut etiam in posterum volens propitium Te sospitet atque Tibi cum coniuge optima et ex ministerii sacri procuratione et ex filiorum quatuor incrementis gaudia praebeat plurima et suavissima. Vale, vir carissime, cuius unius fere ex magno olim sodalicio Portensi familiaritate uti etiam nunc mihi licet, vale et mihi, id quod facis, perpetuam usque ad supremum diem conserva amicitiam Tuam.

